QUODVULTDEUS. MARBODUS REDONENSIS. AMBROSIUS MEDIOLANENSIS. AUGUSTINUS

Ende 12. Jh. Seite 20r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cum omnes vitae istius suavitates, cuncta solatia, cuncta denique or-
namenta amiserim. Tu enim in unus domi eras solatio, foris decori.
tu inquam in consiliis arbiter, curae particeps. depretator sollicitu-
dinis. depulsor meroris. tu meorum assertor actuum, cogitationumque
defensor: tu postremo unus, in quo domestica sollicitudo resideret,
publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuam me in publicis (fabricis)
ecclesiae id saepe veritum esse, ne displicerem tibi. Denique ubi redisti, obiur-
gasti moram. ita domi forisque eruditor quidam et arbiter sacerdotis.
ut domestica cogitare non sineres, publica curare censeres. Ut ve-
reor ne videar arrogantius dicere. Haec enim laudis tuae portio est,
quia sine offensione ulla et gubernasti fratris domum et commendasti
sacerdotium. Sentio equidem quod repetendis officiis tuis recensen-
disque vehementius afficiatur animus. sed tamen in ipsa mei affectione re-
quiesco. atque haec mihi recordationes et si dolorem renovant, tamen
voluptatem afferunt. An ego possum aut non cogitare de te.
aut umquam sine lacrimis cogitare. Et potero umquam aut tantum
non meminisse fratris. aut sine lacrimabili quadam meminisse gratia.
Quid enim mihi iocundum umquam quod non esset ex te profectum. Quid inquam
mihi sine te. aut tibi umquam sine me voluptati fuit. Quis non usus
nobis. et prope visus ipse somnusque communis. Quae discreta umquam
voluntas. Quid commune vestigium ferre, ut cum gradum tolleremus,
vel tu meum vel ego tuum corpus viderem attollere. Quod si quando
sine alio prodeundum fuit. invicem latus putares. affectum vultu
cerneres. maestum animum iudicares. non assueta gratia, non vigor solitus
praenitebat. suspecta omnibus solitudo metum alicuius aegritudinis
afferebat. Ita novum videbatur omnibus nos dividi. Ego certe fra-
trisne absentiae impatiens vel non immemor: quasi praesentem refle-
xa saepius cervice quaerebam. et coram alloqui atque aspicere videbar mihi.
Sed tamquam suspensum collo iugum, ubi spatiis excideram, trahere me